Haáz Rezső Múzeum
Tudományos Könyvtára

Haáz Rezső Múzeum
Tudományos Könyvtára

5502.
F. 43. VII.

ORATIO.

AD

INAUGURANDUM DEDICANDUMQUE NOVUM AUDITORIUM

IN ILLUSTRI GYMNASIO MAROSVASARHELYENSI

A FUNDAMENTIS RECENS CONDITUM ET EXAEDIFICATUM;

SCRIPTA AB

ALEXANDRO KOVÁSZNAI,

LITERARUM IN EODEM LUDO PROFESSORE;

Haász Rezső Múzeum
Tudományos Könyvtára

Anno post natum Christum CIↃ IↃCCLXXXI.
Mense Iunio.

TRAJECTI ad RHENUM,
Apud BARTHOL. WILD Bibliop.
M. DCC. LXXXIIII.

Clarissimo Viro Gabrieli Nemes dono dat Alexander Kovásznai, M. Vásárhelyiri A. 1785. 12 Martii.

Szabó Gyll. Dr. Gabriel egyh. ref. tanár gyűjtemény
Szekely Coll. Reg. Hav

1810

Haáz Rezső Múzeum
Tudományos Könyvtára

A. KOVÁSZNAI

ORATIO.

Insulas medio mari vel etiam lacubus innatantes quae et arbores habeant, et herbas nutriant, tamen aqua sustineantur, et in hanc atque illam partem non tantum vento vehementi ac rabido, sed et lenibus auris impellantur; non dubito quin etsi non oculis ipsi videritis, Auditores omnium ordinum honoratissimi, plerique tamen e vobis aut legendo cognossent, aut tamquam oppido rara et insignia naturae miracula, fando saltim audivissent. Quis enim est, qui sine summa contemplaretur admiratione, tam gravem et ponderosam terrae portionem ingentes etiam templorum substructiones sustinentem non mergi et pessum ire, sed aquis extantem fluitare, neque unquam per diem et noctem in uno eodemque loco stationem habere, verum instar navigiorum vel levi flatu moveri? Fuit aevo Pliniorum et Imperatoris Trajani lacus in Etruria nomine Vadimonis, in similitudinem jacentis rotae circumscriptus et aequalis undique, in quo plures insulae herbidae, omnes arundine et junco tectae innatabant, quas Plinius ipse Caecilius se vidisse re-

Hidvégi Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

fert, interdum junctas copulatasque et continenti similes, interdum discordantibus ventis digestas, cum autem per ventos tranquillitas esset, singulas seorsum, totidem more carinarum fluitantes. Saepe namque minores majoribus velut cymbulae navibus onerariis adhaerescebant, saepe inter se majores minoresque concurrebant; quin etiam usu nonnunquam venire solebat, ut pecora herbas secuta sic in has insulas, ut in extremam ripam procederent, nec prius mobile solum intelligerent, quam litore abrepta circumfusum undique lacum vehementius admirata paverent, mox quo ventus tulisset egressa, non magis se descendisse quam ascendisse sentirent. Mitto nunc alias in Italia fluctuantes insulas, quae in agro Caecubo vel Reatino, nec non in Tarquiniensi maximo lacu, vel ad aquas denique Cutilias, nunquam die ac nocte eodem loco visebantur, ut non modo Plinius alter, ille Veronensis, sed et Seneca et alii memoriae prodiderunt. Nec solum in Italia haec naturae admiranda videre licuit, verum etiam in aliis orbis terrae partibus, ut jam antiquissimis temporibus in Aegypto, quod ex Herodoto Pomponius Mela testatur, quodam in lacu Chemnis insula lucos silvasque et Apollinis grande sustinens templum, natabat, et quocumque venti agebant, pellebatur. Pariter in Lydia quae Calaminae vocabantur, non ventis solum sed etiam contis quo libuisset impulsae, multo-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

torum civium Romanorum bello Mithridatico ſaluti fuerunt. Nulla tamen inſularum erraticarum tantam hominum famam ac nominis celebritatem eſt conſecuta, quam illa media clarisſimaque Cycladum omnium, Apollinis templo et mercatu celebrata Delos, ubi Latona Apollinem atque Dianam fertur enixa, eoque his conſecrata Deis tanta religione colebatur, ut ne Perſae quidem cum bellum toti Graeciae, Deis hominibusque indixiſſent, claſſe mille navium ad Delon appulſa, eam attingere aut violare conarentur. Haec itaque inſula Delos, quae vetuſtisſimis diverſisque temporibus Ortygia et Aſteria, et Cynthia et Lagia et Chlamydia et Cynethus et Pyrpile vocabatur, cum jam diu multumque fluctuata per mare vagando fuiſſet; geminis tandem ab Apolline catenis ad inſulas Gyaron et Myconon devincta fuisſe, ab eoque tempore, ventis contemtis, immota ac ſtabilis ſemper manſisſe, veterum utriuſque linguae poëtarum teſtimonio verſibus et cantu praedicatur.

Házi Bezsű Múzeum Tudományos Könyvtára

Sed quorſum haec tam multa de natantibus inſulis, quaeratis ex me fortasſis, ornatisſimi Auditores? Nempe ut intelligatur, hoc Illuſtre Gymnaſium Maros-Váſárhelyenſe, hanc pulcerrimam artium ingenuarum et bonae mentis officinam, inſulis fluitantibus, quas priſca aetas Apollini conſecravit, maximeque Delo, in disſimili genere multis nominibus

perſimilem eſſe. Illa Cycladum inſularum in Aegaeo mari poſitarum quaſi centrum et medium obtinebat; haec noſtra Delos ceterorum in patria noſtra Gymnaſiorum fere meditullium eſt, et tamquam centralem occupat ſtationem. Illa ventis agitantibus permultum ante vagata, prius errabat, donec fixa et locata ſtabilem immotamque ſibi quietem accepisſet; pariter in hanc noſtram inſulam natantem ſaepe graves incubuere tempeſtates atque procellae, quae illam ſuis ſedibus plus ſemel avulſam et emotam, in utroque patrio gentis noſtrae ſolo, an ſalo, huc et illuc circumferebant, donec tandem in hac urbe Váſárhelyenſi, conſtantem et perpetuam, ut ſpes eſt, ſibi manſionem atque hoſpitium, Deo Principibuſque approbantibus invenisſet. Illam Apollo fixit, fundavit et conſtabilivit ne unquam amplius erraret; haec a ſacratisſimo Imperatore Carolo VI. veluti Iove quodam Statore, defixa et firmisſimis regii decreti quaſi funibus ita ligata eſt, nulla ut jam ventorum reflantium viribus labefactari aut loco dimoveri posſit. Porro Delon iſtam priſci mortales Graeci homines, Apollini atque Dianae, quorum terra natalis erat, ſacram esſe voluerunt; pari ratione hanc noſtram Delon ſapientisſimi patriae patres et munificentiſſimi Proceres, Apollini, hoc eſt omnis generis eruditioni et liberaliſſimis artibus excolendis; atque Dianae, id eſt caſtitati, pietati, ſanctis-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

ctisſimisque et optimis moribus exercendis conſecraverunt. Denique, ut alia praetermittam, in inſula Delo magnificentisſimum Apollini templum veteres excitaverunt; aſpicite nunc, ornatiſſimi Auditores, hanc novam et pulcerrimam aedem, hujus Deli noſtrae recens et inuſitatum ornamentum, veſtra potiſſimum, o Muſarum fautores munificentisſimi, beneficentia, largitate et liberalitate nunquam ſatis praedicanda conſtructam, quam in praeſentia, ſolenni modo moreque majorum, non Apollini, ficto et commentitio veterum numini, ſed Chriſto O. M. ejuſque ſanctisſimis religionibus inauguramus dedicamuſque.

Cum autem ludum hunc literarium, omnis divinae humanaeque ſapientiae domicilium, cum inſulis natantibus nominatimque Delo comparaverim; non alienum ab hoc loco vel tempore, neque mea veſtriſque, ornatisſimi Auditores, perſonis futurum arbitror, ſi fata et vicisſitudines ſcholae noſtrae inde a centum et decem circiter annis repetendo, (neque enim altius aſcendere neceſſe eſt,) breviter prius exponam; deinde publico nomine, verbis conceptis, gratias immortales agam ſacratisſimis Principibus noſtris et ſummo regioque illorum in patria noſtra conſilio; nobilisſimis item hujus urbis magiſtratibus et omnibus bonis, qui de hoc Muſarum ſacrario exaedificando, vel re vel conſilio, vel quacum-

Magyar Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

cumque demum ratione bene mereri ſtuduerunt; tum denique, fuſis ad Deum precibus, hoc templum et bibliothecam iſtam, ritu religioſo, cultui divino honorique numinis ejus conſecrabo.

Ac primum quidem, omnium eorum, quos ego hoc in ornatisſimo conſesſu adesſe video, arbitror reperiri neminem, cui minus intellectum vel auditum esſet, noſtrum hoc ab initio Gymnaſium non in Transſilvania fuisſe natum, ſed originem et incunabula nataleſque ſuos, totius Hungariae nobilisſimo illi Patakenſi Athenaeo, in haereditaria tunc Rakociorum posſesſione florenti, debere. Neque quemquam putaverim ita domi ſuae hospitem esſe, et in tanta rerum patriarum atque ad eruditionem Chriſtianamque religionem pertinentium ignoratione verſari, quin pariter accepisſet, quibus de cauſis et quo tandem caſu quave ſit occaſione factum, ut relicta ſede nativa, e vicina Hungaria in Transſilvaniam noſtram, anno poſt natum mundi Servatorem milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimoque ſecundo transmigrarit. Quamquam autem animus, ut cum poëta loquar, temporum illorum vel meminiſſe horret luctuque plane refugit; memoranda tamen illa ſed breviter tantum erunt, propterea quod non modo omnium gentium nationumque exterarum literis et linguis, ſed etiam patriis annalibus ad poſteritatis memoriam ſempiternam commendatae leguntur dirae il-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

illae et horrendae vexationes id temporis in Hungaria flagrantes et funeſtae clades eorum, qui ſe ab emendata ſacrorum profesſione vel Reformatos vel Evangelicos appellare ſolebant; quibus infinita tunc templa locaque rei divinae faciendae deſtinata, invita regia Majeſtate, per vim ab inimicis eripiebantur, ludi literarum et Gymnaſia occludebantur aut diſſipabantur, ac tandem complures illorum verbi divini praecones, contra mitisſimi Caeſaris voluntatem in jus injuſtisſime vocati, quaeſtionibus in miſeros inaudita cum ſaevitia et acerbitate habitis, vel lacrymoſum in exilium, homines innocentisſimi, extorres patria pellebantur, vel quod ipſa proſcriptione gravius erat, ad triremes damnati Neapolitanas, in Italiam, ut aetatem reliquam in ſervitute omni morte duriori exigerent, amandabantur. Sinite vero jam hic, Auditores ornatisſimi, involvere me ſilentio Sophiam Batorinam, Principis Rakocii poſterioris viduam, quae tamquam Helena iſta incendii Trojani, ſic horum omnium malorum et miſeriarum facem, cauſam originemque praebuerat; ac permittite hoc me loco pictores imitari, qui partes imaginis ad deformitatem inſignes inumbrare aut penitus abſcondere ſolent; parique modo praeterire me calamitatem illam, a noſtris popularibus, qui tamen ſe ſocios Jeſu vocitabant, in propria quaſi viſcera ſaevientibus illatam, conceditote. Quin etiam par

Házi Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

eſt ut illorum ignorantiae ac caecitati aequo jam nunc animo ac libenter ignoſcere velimus, quippe qui vel inſcientes et imprudentes, providentiae divinae tam ſapienter omnia ad felicem eventum exitumque deducere ſolitae, velut inſtrumenta quaedam et adminiſtri fuisſent. Nam lumine captus ſit oportet, et vel ad ſolis meridiani lucem caliget neceſſe eſt, qui hoc in negotio vim numenque divinum, ac coeleſtem rerum humanarum curationem et adminiſtrationem ex impresſis hujusmodi veſtigiis, tam manifeſtis ſentire, et ipſis tantum non oculis videre ac perſpicere non poſſit. Niſi enim haec ſchola noſtra ceu planta quaedam e ſeminario per vim radicitus tunc eſſet evulſa et in has regiones transportata; niſi tamquam apum examen et nova ſoboles aut colonia, veluti fumo vexationis iſtius ad novas in patria noſtra ſedes quaerendas ex illo veteri alveario exacta fuisſet; et nos hodie hoc ornatisſimo Muſarum delubro fortasſe careremus, neque hinc tot viri eruditione ac pietate praeſtantes per amplius centum annos exire, ac tam immortalis Dei religionibus interpretandis, quam ſummae rei publicae procurandae praeeſſe tanto cum fructu potuiſſent. Quare ut ad inſularum natantium ſimilitudinem, qua eram initio hujus orationis uſus, revertar, graves illae vexationum indignisſimarum procellae et immanes ventorum turbines, tanto cum impetu rabieque in ludum illum Pata-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

takienſem incurrerunt, eumque ita vehementi ictu percuſſerunt, ut Illuſtris illa doctrinarum ſedes, velut inſula quaedam quae adhuc immota tanto temporis intervallo Patakini haeſiſſet, tunc non tantum e loco funditus convulſa et labefactata dimoveretur, ſed etiam in duas praecipue partes diffinderetur; quarum una prius Göncium appulſa, mox deinde Casſoviam eodem turbine delata, per decennium et eo amplius natitabat, donec faventioribus uſa ventis, Patakinum, unde propulſa fuerat, remearet, ubi hodieque, tametſi alio atque antea poſita loco, pulcerrime viret, ac laetioribus in dies incrementis efflorescit. Altera vero pars eademque potior, unde poſt varios temporum caſus et fortunae vicisſitudines, noſtra haec inclyta divinae humanaeque ſapientiae palaeſtra tandem eſt enata, ſuperato flumine Tibiſco Debrecinum ſe contulit, ut in his exilii miſeriis paullisper in ea urbe gentis Hungarorum capite, requieſceret et aliquantulum ab itineris moleſtia reſpiraret. Rerum ea tempeſtate his in terris potiebatur Michaël Apaſius ille ſuperior, Princeps clementisſimus et optimus, neque modo religionis emendatae, et caeremoniarum repurgatarum amantisſimus, ſed et literarum peritus, et omnium quicumque bonarum artium ſtudio tenerentur, fautor egregius, defenſor, patronus et propugnator ſingularis; qui poſteaquam magno cum animi dolore ac-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

accepiſſet, ſcholam Patakinam, domo ſuisque fortunarum ſedibus exturbatam, ſolum exilii cauſa vertisſe, et migrationem in ſuam ſuſcepisſe Transſilvaniam; re prius ad ſenatum et conſiliarios relata, clementisſime decrevit, exulibus illis in urbe ſua Albenſi, fortunae miſerae multumque jactatae portum ac perfugium aperire; ut ibi vacuefactas jam pridem ſedes Gymnaſii, quod maximus ille Principum, qui unquam de noſtra gente regnarunt, Gabriel Betlenius Iktarenſis, olim condiderat, occupare posſent, occupataſque dum ita Deo O. M. viſum fuisſet, pacate, tranquille ac jure optimo posſidere. Sic itaque factum eſt, Auditores, ut extorris illa ſtudioſa juventus, una cum duobus magni nominis et eruditionis profesſoribus, Michaële Buzinkaïo et Ioanne Póſaházio, quibus erat jam diu ante doctoribus uſa, quoſque hoc etiam tempore duces comiteſque profectionis habebat, ciſta quadam lignea, quae ſupellectilem ſi qua erat pretioſior, et quicquid habebant argenti facti ſignatique, continebat, amplisſimorum oppidi Debrecinenſis Conſulum et ſenatorum curae fideique credita, ipſi Debrecino egresſi, anno praedicto ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo et altero, ineunte menſe Ianuario, Albam Gyulae, quae vulgo, ſed male, Iulia, hodie vero a ſacratisſimo Imperatore Carolo VI. Carolina vocitatur, feliciter appulerint, ibique in tutela, ac praeſidio peropportu-

Házi Bezeő Múzeum Tudományos Könyvtára

portuno Principis Apafii tandem aliquando confederint. Qui quidem Princeps indulgentisſimus nihil prius et antiquius habebat, quam ordinare novellam hanc Muſarum coloniam, ac delectos ex Illuſtribus viris Curatores ei praeficere, qui cum id diligenter operam darent ut leges moreſque veteres ſcholae Patakinae, in quantum quidem ad patriae noſtrae rationes et conſuetudinem accommodari poſſent, ſtudioſisſime ſervarentur, tum et illud uti viderent, ne quid detrimenti in rebus ad victum quotidianum et vitam ſuſtentandam pertinentibus adoleſcentes ſtudioſi paterentur. Accipite quaeſo verba ipſa literarum publicarum ſigno Principali munitarum et ad noſtram memoriam permanentium, quae ſuper his rebus in diplomate Curatoribus dato expreſſa leguntur, Principiſque ſanctisſimi pietatem adverſus Deum, et animum ad miſericordiam propenſum ſatis ſuperque declarant. *Damus*, inquit, *hanc inſtructionem* (non mea ſed Apafii Principis verba nunc auditis,) *Curatoribus Illuſtris Collegii olim Saros Patakini in regno Hungariae intra aliquot annorum decades cum maximo Eccleſiae ac rei publicae Chriſtianae emolumento manſionem ſuam continuantis; nunc vero ultricibus per peccata noſtra Iehovae manibus, in nos concitis ingraveſcentibus perſecutionis fluctibus, cum maximo ac nunquam ſatis deflendo Eccleſiae ac rei publicae Chriſtianae damno, eodem expulſi, ſed ex benigna ac Principali noſtra annu-*

Illavár Rozsé Múzeum Tudományos Könyvtára

nuentia, ſingularique in litteras ac litteratos affectione, accedente etiam fidelium Conſiliariorum noſtrorum, ceterorumque in hoc regno Patronorum conſenſu ac pia liberalitate, donec ſummus ille Regum et regnorum moderator ac oppreſſae Eccleſiae vindex fortiſſimus, depreſſo fluctuum ferocientium tumore, confidentium ſibi ſpes preceſque laetum duxerit ad exitum, Albae Iuliae Transſilvanorum, tanquam in bonae Spei portu ancoram figentis, Anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo. O decretum, Auditores, clementisſimum, ſempiterna memoria conſervandum, et ab omnibus bonis perpetuo celebrandum! O Principem omni laude ac praedicatione dignum ſed omni majorem! Erant illa tempora ſupra quam dici poteſt miſera ac vehementer exulcerata; hoc ejus regnum exiguis contentum finibus ab infenſisſimis Chriſtianae religionis hoſtibus undiquaque cingebatur; Hungariam in vicinia poſitam partim continuis bellorum flammis Turcorum barbaries infeſtabat; partim impii ſacerdotes a ſodalitate Ieſu cognominati, ſacra omnia juxta ac profana miſcentes et perturbantes vexabant ac populabantur. In tam dubio tamen ac periculoſo rei publicae ſtatu, in mediis ardentium ubique tumultuum faucibus conſtitutus Princeps, Muſas exulantes in fidem recipere non dubitabat; nec illi veniebat in mentem pertimeſcere, ne propter ſupplices illos hoſpitio acceptos bellum ſibi grave et anceps

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

ceps a regibus vel ab aliis indiceretur, aut aliqua ſaltem invidia conflaretur, qui hac liberalitate offenſi, in deterius id eſſent relaturi et ad injuriam ſibi factam interpretaturi. Nihil ejus animum hujus generis cogitationes, nihil odium et invidia in ſe forte hoc e facto redundatura, nihil aerarii anguſtiae, nihil rerum ceterarum penuria, nihil horum ſimiles aliae difficultates moverunt. Ille Muſas mansvetiores ab iſtis Pyreneis violatas, patria expulſas, ejectas, et crudeliter exterminatas, magno animo in regnum et urbem receptas civitate donavit; Ille in Albano ſuo Parnaſo, vexationum in Hungaria concitatarum fluctibus inobruto collocavit; Ille feſſas ac de itinere languentes largo miſericordiae ac benignitatis ſuae flumine, veluti Caſtalii fontis amoenitate recreavit; quo in loco per annos quadraginta et eo amplius, haec inſula etſi firma ſatis ac fundata perſeveraret, variorum tamen interea temporis nimborum ac tempeſtatum foeditatem excipere ac tolerare cogebatur. Nam Apaſio Principe anno ejus ſeculi nonageſimo, rebus humanis exemto, ſub ejus ſucceſſore filio cognomine, qui non ſatis aptus natus eſſe videbatur ad habenas hujus Provinciae moderandas; ingentes in ſumma re publica mutationes conſecutae fuerunt; noſtraque Transſilvania venit in poteſtatem ac ditionem excelſiſſimae gentis Auſtriacae, inque fidem accepta eſt ab Auguſto Caeſare

et

Hadz. Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

et Romanorum Imperatore Leopoldo Magno; cujus quidem imperium mite ac moderatum nihilhujus Gymnasii rebus afferebat detrimenti; sed per frequentes sub idem tempus barbarorum omnia ferro flammaque depopulantium irruptiones; maximeque paullo post novo, hoc ipso videlicet ineunte seculo, cum Princeps Franciscus Rakocius ejus nominis secundus res novas moliretur, et inchoatam in Hungaria defectionem ac seditionem pluribus annis duraturam in has quoque regiones secum una transtulisset; incredibile dictu est, quas toto illo tempore miserias, ut omnes in universum incolae, sic et adolescentes doctrinarum studiis dediti viderint ac fuerint experti. Dissociatis namque civium animis, cum alii Caesarianis, alii Rakocianis faverent partibus, duoque diversa ac plane contraria studia factionesque natae fuissent; nunc a milite Caesariano Gymnasium expilabatur, nunc, si quid ille reliqui fecisset, id ab his qui partium Rakocianarum erant, diripiebatur; adeo ut plus semel eadem vestimenta ac supellectilia forent modo ab his, modo ab istis ablata, pretio depenso redimenda, magnoque locorum intervallo reducenda. Quid? quod ipse V. C. Samuel Kaposius, qui solus in hac omnium rerum perturbatione, his tam perditis et omni diritate, omni scelere ac flagitio refertis temporibus ludum hunc literarium regebat, falso in eum rumore confecto, proditionis insimulatus, a cru-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

cruce ſignatis, quo ſe modo Rakociani nominare ſolebant, in captivitatem eſt abductus; unde tamen post aliquot dierum hebdomadas, pro ſua facundia et agendis in rebus dexteritate liberatus, ſalvus et incolumis remeavit. Sed quoniam vis illa malorum ac tempeſtas, quae per octo propemodum annos has tunc in terras ſaeviebat, communis erat omnium, non modo ceterorum in patria Gymnaſiorum, ſed etiam quorumlibet incolarum, qui pari omnes calamitate premebantur; nihil amplius de his aerumnis ac miſeriis addam, verum ad ea potius breviter commemoranda revertar, quae magis priva propriaque novi hujus Albenſis ludi literarii, maxime quod ad rationem doctrinarum pertineret, fuerunt.

Quamvis igitur annis quatuor et quadraginta, quibus in arce Albana commorabatur, ſeptem omnino hoc Athenaeum ſapientiae doctores atque magiſtros, qui profeſſores appellantur, numeraverit; duo tamen ex illis, *Stephanum Kis Komaromienſem* et *Ioannem Berzetenſem*, ſola nominum mentione facta contentus praeteribo, propterea quod ille nihil, quod equidem ſciam, ſcriptorum reliquerit; hic autem per ſummam temporis brevitatem, nullum ſui documentum dare potuerit, intra primum videlicet ſui muneris initi menſem morte praeventus. Relinquitur ergo, uti de tribus potisſime, quos jam paullo ante commemoravi, Buzinkaïo, Póſaházio, atque Kapos-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

ſio, pauca quaedam dicenda videantur; quorum quidem ſinguli, cum alias gentes ac nationes exteras ſtudio diſcendi et audiendi peragrarunt, tum vel in primis ad colligendas in omni diſciplinarum genere eruditionis opes, diu multumque in foederatis potentisſimorum et terra et mari Batavorum civitatibus haeſerunt; unde tamquam e magnis fluminibus et uberrimis fontibus, omnes verae germanaeque doctrinae, omnes divinarum humanarumque ſcientiarum rivuli, in utramque nationis noſtrae patriam, jam a longinquis temporibus derivati manarunt; et ſi quid apud nos culturae, ſi quid bonae mentis etiamnum reperitur, totum id Belgis praeſertim hominibus hodieque debetur, et pro immortalibus illorum in nos meritis acceptum refertur et imputatur. Sunt igitur hi tres viri a compluribus iisdemque eruditisſimis lucubrationibus et ingenii monumentis Latina gentilique lingva conſignatis et editis, ad hodiernum usque diem apud nos ſuo merito clarisſimi; eamque nominis famam ac celebritatem adepti, quam nulla unquam aetatis venturae oblivio videtur eſſe deletura. Longum ſit enumerare libros ab illis utroque ſermone confectos, et eorum argumenta nominatim percenſere neque hujus loci neque temporis eſt, Auditores; illud tamen praeterire non poſſum, quod cum illi duo priores cum exule ſua juventute ſcholaſtica, ſedem ſuarum fortunarum in Tranſilvania fixiſſent,

Házi Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

ſent, ubi jam tum Carteſiana philoſophandi via, et in ſacris literis interpretandis Coccejana ratio, ſcholarum cathedras occuparat, hi noſtri, utriusque ſectae ac haereſeos iſtius hostes et inimici, Enyedenſis praecipue Gymnaſii doctores adorti, multum iis negotii facesſebant, et acerrime gravisſimeque adverſabantur, proque temporum illorum conſvetudine, praeſertim Póſaházius, quicquid virium habebat et acerbitatis, id totum in illos effundebat; cujus rei teſtis esſe poteſt vel unus conventus Eccleſiaſticorum Radnotenſis. Quodſi nunc ab inferis hi duumviri excitarentur; quantos laetitiae fructus, quid voluptatis capturos arbitramini, quove triumphaturos gaudio, cum viderent ſui ſe voti damnatos et compotes poſt obitum factos? frigere nunc ubique locorum allegorias et myſteria Coccejana; Carteſii cogitationem, machinas et vortices ſic esſe jam dudum ab tam exigua temporis intercapedine abſorptos atque ſepultos, vix ut tenuis illorum fama ex patrum avorumque memoria repetita noſtrorum hominum aures animoſque perlabatur? De Samuele autem Kaposſio, qui doctoris ſacrarum ſcripturarum appellatione, laurea et inſignibus cohoneſtatus, non magno intervallo ſuperioribus illis ſucceſſerat, quid ego multa praedicem? Quo quidem certe ſeu decoram virilis formae dignitatem ſpectare velles; ſive animum omni doctrinarum non minus humana-

Hadz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

rum quam divinarum multiplici varietate imbutum; ſive gratiam, favorem et benevolentiam, ſuis meritis ac virtutibus apud omnes partam collectamque conſiderare; nihil in gente Hungarorum excellentius aetatis ſuae tempora tuliſſe confiterere. Quibus rebus fiebat, ut omnem fere nobilitatem, cunctos divitum ac potentiorum liberos in ſuam ille diſciplinam Albenſem pertraheret; quae etſi nullis certis vectigalibus annuiſque fructibus aut posſesſione praediorum, ut reliqui duo celebriores in patria ludi, Enyedenſis et Koloſvarinus, ſed ſola beneficorum hominum libera voluntate a ſuo cujuſque arbitratu pendente ſuſtentabatur, inque diem quaſi vivebat; non minora tamen commoda, nec pauciores in utramque Hungarorum rem publicam ex his advenis et hoſpitibus Muſarum alumnis diffundebantur utilitates, quam ex domeſticis omnibus et indigenis, qui patrios intra fines nati pariter educatique fuerunt. Et ſane quae ſit vis benevolentiae, quae gratiae quae caritatis efficacitas, quid posſit amor, quid ſtudium, et quanta ſit pietatis in Deum efficientia, ſi quis eſt qui dubitaret; is in profugam modo hanc Muſarum coloniam velut in ſpeculum intueatur, in qua Procerum Transſilvaniae benignitas et promta parataque de literis, earumque cultoribus bene merendi voluntas, tamquam in illuſtri poſita monumento relucet. Quo ex fonte illa quoque conſvetudo proflu-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

fluxit, quae ad noſtram memoriam perſeverat, ſed ab omnibus aliis quoque Gymnaſiis cupide ſtatim tunc arrepta ac recepta jam pridem uſurpatur, ſtudioſos juvenes in tribus praecipuis feſtorum dierum anniverſariis ſolennitatibus, ad ſacras conciones in aedibus Procerum ac nobilium opulentiorum habendas emittendi; quod ſibi praeſtitum ab illis officium, hi ſtipe quadam et pecunia remunerantur; qui tamen amoris qualiſcumque fructus, ut nunc eſt, detrimenti an utilitatis plus ad ſtudiorum rationem afferat, neque ſcio, nec ſi ſcirem, dicere juvaret; eoque prudentioribus hoc quicquid eſt inſtituti dijudicandum relinquo.

Veniendum potius nunc eſt ad duo reliquos e ſeptem Albani hujus ludi magiſtris, et literarum profeſſoribus, *Andream Zilaïnum*, qui poſt Kaposſium anno hujus Seculi decimo tertio fatis abreptum, in ejus locum ab Illuſtri ſenatu Eccleſiaſtico ſurrogatus erat; et *Michaëlem Szatmarinum*, qui biennio poſt Tokájino deductus et illi collega datus eſt; quorum temporibus iterum hic ludus loco ſuo dimovebatur, et arce Albana cedere, imperio Caeſaris Auguſti jubebatur. Atque ita haec noſtra Delos, etſi non tanta tamque procelloſae hyemis violentia, quantam in Hungaria fuerat perpeſſa, ſed longe mitioribus ac lenioribus regiae Majeſtatis auris impulſa, denuo tamen natitare ac fluctuare coepit. Compoſito nam-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

que tumultu Rakociano, et extinctis turbarum inteſtinarum bellorumque civilium flammis, interim Carolus VI. non imperii modo Romani potiebatur, verum etiam diademate Hungarico, anno Seculi duodecimo, redimiebatur: qui quidem Princeps potentisſimus et ſapientisſimus, nihil tunc rerum humanarum ſibi prius, quam de Turcorum barbarie totius Hungariae finibus depellenda cogitandum et agendum judicavit. Quod cum ſe nequicquam tentaturum intelligeret, niſi ſi noſtrae Transſilvaniae loca caſtellis idonea, inque primis Albam Gyulae ſedem olim Principalem, ſitu et ingenio naturaque ad hoc conſilium exequendum unam omnium accommodatisſimam urbem, foſſis, moenibus, propugnaculis et operibus, ad leges architecturae militaris communivisſet, idque alia nulla prorſus ratione perfici posſet, quam ſi, Germanis militibus exceptis, omnes ſine diſcrimine cives cujuſcumque ordinis et dignitatis, qui domicilium in arce habuisſent, inde in loca ſuburbana, quae Mariſus amnis perlabitur, habitatum demigrarent; edicto clementisſimo quidem illo, ſed per rei publicae tutandae rationes necesſario et inevitabili, ut alios arcis incolas univerſos, ita quoque Gymnaſium, anno ſextodecimo Seculi quod vivimus, caſtello Albenſi excedere imperavit. Hic autem operae pretium eſt videre ſimul et admirari, quantum interfuerit inter hanc demigrationem jusſu

Cae-

Házi Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

Caesaris Augusti denunciatam, et illam, cui pridem in Hungaria, nefarii sacerdotes e societate Iesu, ansam occasionemque praebuerunt. Etenim illa ab istis injungebatur ad suam ipsorum insatiabilem dominandi libidinem explendam; haec a Principe ad universae rei publicae Christianae salutem conservandam. Illa solos purioribus sacris initiatos petebat; haec ad omnem promiscue populum Albanum pertinebat. Illam consequebantur cruciatus, carceres; exilium, mors; hanc libertas in quocumque loco vel urbe visum fuisset intra fines patrios sedem figendi. Denique quid quaeritis Auditores? hujus auctor mitissimus Princeps patriaeque pater Carolus VI; at illius e diverso, non patres, (quo tamen sed falso nomine se dici et appellitari vehementer amabant,) sed crudelissimae pestes, labes, et publicae pacis ab ultima origine sua perturbatores extiterunt. Ad summam, tunc furentes ventorum violentissimorum impetus, turbines fulmine commisti, presteres ac typhones in hanc mobilem insulam impingentes, eam vi et injuriose fractam et in partes solutam disjiciebant; nunc autem aura placidissima leniterque spirans, nostram hanc Delon loco suo molliter dimovebat. Successerat jam tum Praesidi Rabutino, atque id temporis patriae nostrae cum imperio praefectus, summam rerum bellicarum administrabat Comes Stephanus Steinvillius natione Lotharingus, vir

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

non modo fortisſimus et prudentisſimus, ſed omnis aequi justique ſtudio, animique lenitate, modeſtia, humanitate ſumma praeditus, aeterna memoria ac ſempiterna laude dignisſimus, et is, quem impeditis temporibus iſtis, vixdum ſopitis adhuc et ſedatis inteſtinarum disſenſionum fluctibus, patriae noſtrae gubernaculis asſidere, et Caeſaris ſapientiae prorſus erat, et e re publica videbatur esſe. Nam et militem in officio magna vigilantia continebat, et provincialibus pro ſuo cuique jure omnia ex aequo bonoque tribuebat, nec ullis partium ſtudiis transverſum abripi et auferri ſe patiebatur. Et quamvis in rerum civilium adminiſtratione, ſummi conſilii et ſenatus princeps, quem Gubernatorem vocant, Sigismundus Korniſius esſet, Steinvillius tamen multo majori fuerat cum auctoritate legatus, omninoque plena rerum agendarum poteſtate a Caeſare inſtructus, in Transſilvania pollebat; ut quicquid decreviſset, conſtituiſset, ordinaviſset; fixum, ratum, ab Imperatore haberetur; quem quidem ego virum divino plane conſilio ad haec tempora ſervatum et in hanc regionem misſum arbitror, ut esſet, ad cujus aequitatem homines miſeri confugerent, quem libellis ſupplicibus convenire auderent, cuique liberas de injuriis querimonias cum ſpe fiduciaque deferrent.

Ceterum anno ſuperiori decimo quinto, abhinc

ſexto

Házi Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

ſexto et ſexageſimo, quo et novae munitionis fundamenta a Steinvillio et Korniſio, ſolita cum pompa et ſolenni ritus apparatuſque magnificentia jaciebantur, et urbs Albae Carolinae nomen accipiebat; in comitiis regni magnis animorum motibus agitata jam erat cauſa Gymnaſii inde amovendi, maximeque templi tradendi, quod a noſtrae ſectae hominibus per omnes Principum Transſilvanienſium aetates, ad id uſque tempus, optimo jure in arce illa posſidebatur; quippe ubi ſacrorum noſtrorum et religionis primarius antiſtes, quem Epiſcopum appellamus, ſedem atque habitationem perpetuo tenuisſet. Quam aedem ſacram, cum in illo omnium ordinum conventu Romanae ſectae proceres a ſenatu Eccleſiaſtico peterent; hi quamvis ab initio negarent ſui rem arbitrii esſe, ſua ſponte quicquam ſtatuere de templo, quippe quod non tam ſuum esſet, quam ipſius Dei, cujus honori cultuique foret ſanctum atque deſtinatum; adderentque, ſe, ſi praediis et posſesſionibus avitis regia Majeſtas decedere jusſisſet, cauſam fuisſe nullam dicturos, quin dicto audientes esſe continuo vellent; nunc aliam esſe iſtius templi rationem; et cetera plura generis ejusdem; ſed cum adverſariae partis principes, potentioribus pro ſtatu temporum illorum, rationibus inſtarent, hisque tribus argumentis pugnarent; principio, aedem illam ſuam fuisſe, (olim nempe ante ſacrorum emendatio-

Házi Bazár Múzeum Tudományos Könyvtára

nem a Pontificiis aedificatam,) deinde, Imperatorem mandare, denique, necesſitatem jubere; multis verbis ac ſermonibus ultro citroque habitis, poſt longam diſputationum contentionem, noſtri tandem ſuccubuerunt, atque ad certas pactiones et conditiones compenſationis, et jacturae ſarciendae deſcendere debuerunt. Sic itaque templo tradito, Praeſul noſtras Enyedinum concesſit; cujus exemplum ſequi non ita multo poſt, Gymnaſium quoque cogebatur, etſi quemnam in locum demigraret, nihil adhuc esſet certi, neque a Steinvillio neque a noſtrarum partium optimatibus conſtitutum aut deſignatum. Interim appropinquarat annus ille praedictus ſextus et decimus, menſisque Martius agebatur, cum more modoque in rebus juridicis uſitato, primores in Gymnaſio juvenes, duorum ſcribarum regiorum opera commonefacti, ac nomine Principis Auguſti jusſi fuerunt, intra diem decimum quintum ab hoc ipſo die numerandum, omnes ad unum ſuis ſedibus et arce Albana excedere, et fortunas ac domicilia, ubicumque videretur, alibi collocare. Quare ad has anguſtias redacti, quando nullum amplius morae vel cunctationis, nullum tergiverſandi aut deliberandi locum ſuperesſe viderent, hoſpitio tumultuario in pagis vicinis quaeſito, rebuſque ſuis quae moveri poterant, ut in tanta feſtinatione licebat, comparatis; et ſupellectili vehiculis ſe mox ſecuturis impoſita,

ipſi

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

ipſi a. d. VII. Kal. Apriles, in aream Gymnaſii prodeuntes confluebant, una cum vexillis et tympanis, quae velut imaginaria militiae ſimulacra, pueris ludendi gratia in campum egresſis ad oblectationem concedi hodieque ſolent; ſed tunc ut luctus et migrationis ſignificationem oſtenderent, ſignorum vela terram verſus, tamquam faſces apud Romanos honoris cauſa ſummittebantur, tympana vero pannis erant atris obducta; atque ita longo ordine e paribus compoſitis conſtante, ut funeribus efferendis fieri conſvevit, primum agmen pueri ducebant, quos ephebi et adoleſcentes, et ita porro ſtudioſi juvenes conſequebantur, agmen denique profeſſores ambo rheda eadem invecti claudebant. Sic ex arce primum profecti, dein ex urbe diſcedebant, comitantibus et flentibus uſque ad fines agri Albani omnibus incolis et civibus, maximaque vulgi frequentia cum lacrymis et gemitibus manifeſtum luctus et deſiderii ſignum et indicium edente. At illi alternis inter incedendum vicibus, nunc ſacrum carmen Davidis quadrageſimum et alterum, eoque finito, ſeptimum atque triceſimum ſupra centeſimum, aliaque cantica concinebant, nunc tympana gradiendo pulſabant, quibus alterne per intervalla identidem repetitis, migrationis ſuae miſerias per totum iter illud fallere ac ſolari conabantur, donec vicum nomine Karkoviam, uno fere milliario ab urbe Albana di-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

diſtantem, quem S. R. I. Comes Ladislaus Telekinus Székenſis, magni Michaëlis filius, jure haereditario, ditione tenebat, tetigisſent. Is enim vir ſanctisſimus et integerrimus, magno parente ſuaque gente Telekina (qua e ſtirpe nati plerique omnes et ipſi docti et doctorum hominum ante alios cupidi, amantes et ſummi fautores ſemper extiterunt,) dignisſimus, non ſolum concesſerat, ut ſedibus exacta publice juventus illa, in hoc ſuum praedium tamquam ad aſylum aut aram confugeret, verum etiam ut eo pervenerunt, omnes liberali hoſpitio, et quidem profesſores nec non aliquam juvenum partem in ſuas aedes aulamque recepit, ceteris in vico per domos hoſpitales diſtribui jusſis. Ad hunc itaque modum, noſtra haec inſula Delos, cum Albâ enatasſet, rurſus Karkoviae paulliſper ſubſtitit; quodque mirabile planeque portenti ſimile videtur, nihil interea loci de conſvetis ſtudiorum exercitationibus et induſtria hi profugi remittebant, et tam preces, quam acroaſes magiſtrorum in templo Karkovienſi quotidie fiebant, ad eoſque conventus definitis certiſque horis habendos, ſtrepitu tympanorum ſigna edebantur.

Sed quoniam nullo pacto fieri poterat, ut eo loci paullo diutius perſeverarent, dandis ad Steinvillium ſupplicibus literis, quibus ille ſemper humanisſime reſpondebat, omnem movebant lapidem, ut primo quo-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

quoque tempore certa ſibi ſtabiliſque ſedes ad quietem, deſignaretur; neque Proceres noſtri, Helveticae, ut nominantur, profeſſionis, quicquam inexpertum et intentatum hac in cauſa negotioque Gymnaſii jam emoti relinquebant; verum enimvero de rebus tam exiguis inter tot tantaſque bellorum graviſſimorum ſollicitudines, Imperatori tunc deliberare minime vacabat; quippe cum eadem aeſtate, fortiſſimus ille dux Eugenius, Caeſaris auſpiciis ſuoque ductu, infinitas Turcorum copias ad Varadinum Petri deleſſet, eodemque victoriae curſu Temeſvarinum, omnemque illum inferiorem Hungariae tractum ab eiſdem hoſtibus in deditionem accepiſſet; adeo ut vel minima tunc Principis cura cogitatioque multo prior et antiquior rei tam minutae ſtudio jure ac merito videretur. Equidem Steinvillius, quam Alba excederent, jam ante ſpoponderat, in ſeque receperat, cum damni quod fecisſent aequam et justam ab Auguſta aula ſe compenſationem impetraturum, tum vero, quemcumque in locum et urbem Gymnaſium commigraviſſet, ſibi curae futurum, ut ibidem in tuto esſe, ſine omni periculo, noxa et injuria, ſecuri, otium, pacem tranquillitatemque habere posſent. Optione ſibi data, duo potisſimum loca noſtrorum animis obverſabantur, Szász-Váróſinum et Maros-Vásárhelyinum, quorum illud cum propius abesſet, tam ob vecturae difficultates evitandas,

Ház Bezős Múzeum Tudományos Könyvtára

das, quam aliis de caufis prae Váfárhelyino magis arridebat; quorfum etiam viginti circiter e ftudiofa pube, ceteris quafi viam praeituri hac eadem aeftate femet conferebant; fed varii rurfus erant venti fuborti, reflantes, qui, quo minus haec infula Szász-Várofinum transnatare, ibidemque radices agere posset, prohibuerunt. Neque enim tantum natio Saxonica, cujus in territorio oppidum illud cenfetur, reclamabat ac refragabatur, contraque palam dicebat; fed et ipfe Steinvillius auctor fvaforque vehementer erat, ut potius Maros-Váfárhelyinum eligerent; ubi quietem et fecuritatem illis nomine Caefaris pollicebatur, quam fe negabat Szász-Várofini praeftare posfe, propterea quod partes illae Transfilvaniae vergentes ad meridiem, bellorum impendentium tumultibus magis obnoxiae expofitaeque forent. Hac tanti ponderis ratione a Steinvillio propofita, permoti, et fenatus nofter Ecclefiafticus, et profesfores ipfi communi juventutis nomine, ante, quam in viam fe darent, XII. Kal. Decembris literas elegantes, quae adhuc asfervantur, ad magiftratum Váfárhelyenfem exararunt, quibus hospitium fibi a Praefide Provinciae demonftratum, ad aliquod temporis fpatium obtinendum precabantur. Cui poftulato, auctoritate Steinvillii atque adeo Caefaris ipfius munito, cum magiftratus non repugnaret, potiufque locum libenter relinqueret; Gymnafium Kar-

Házi Bezzé Múzeum Tudományos Könyvtára

Karkoviâ, v. Kal. Decembris discedebat, et eodem anno praedicto qui hujus Seculi decimus sextus erat, IV. Nonas Decembris in hanc civitatem advenit; ubi in praeparatis jam ante pro sua cuique conditione hospitiis, aeque ac milites in hibernaculis, tam inferiores discentium classes et ordines, quam cetera pubes scholastica distributa collocabatur; dataeque postmodo literae Szász-Városinum, ut et hi qui illo se Karkoviâ contulerant, huc sequerentur, et in urbem Maros-Vásárhelyensem ascendere maturarent. Atque ita tandem, Auditores ornatissimi, hanc nostram insulam natitantem, in hanc urbem vel deduximus, vel a variis ventorum flatibus latam et fluitantem, inque has partes tendentem, verbis et oratione prosecuti usque adhuc sumus.

Hadtörténeti Múzeum Tudományos Könyvtára

Neque tamen existimare debetis, eam, simul atque huc appulisset, ita statim firmis depactam fundamentis constitisse, ut jam illi nullum a ventis detrimentum esset metuendum. Nec enim perpetuam ibi sedem et stationem, sed mansionem duntaxat ad tempus et quasi diversorium petierant, interea dum causa hac ab ipsomet sacratissimo Imperatore cognita ac dijudicata, decreto ejusdem, ab Steinvillio data fides exsolveretur, promissaque praestarentur; nempe ut locus novo Gymnasio aedificando aptus, isque regio diplomate confirmatus asignaretur, triaque praeterea numorum aureorum millia damnis compen-

pensandis et sarciendis ex aerario numerarentur. Hac spe et expectatione suspensi, universa illa hospita juventus, instar militum in hibernis agentium, duas hyemes et unam aestatem illis interjectam exegerunt; ad sua tamen ordinaria doctrinarum studia nihilo secius per idem tempus incubuerunt atque antea, suis rebus integris et ex animi sententia succedentibus facere consverant. Nam et ad professores audiendos apud forum in conclave quoddam superius, eo loci positum ubi nunc Telekina domus est, statis temporibus quotidie conveniebant, et puerorum institutiones, in variis civium tectis ac domiciliis pariter peragebantur. Cumque et urbs ipsa proprium haberet literarum ludum, sed non ita frequentem et unius duntaxat doctoris magisterio contentum, quem ante hospitis hujus Gymnasii majoris adventum jam pridem aluerat; tota haec civitas quanta erat, in Musarum quemdam montem et sacrarium videbatur esse conversa; superiorem ejus partem indigenis et veteribus Pieridum alumnis, inferiorem hospitibus et peregrinis occupantibus; quo in statu biennium illis est praeter propter circumactum. Interim anno Seculi XVII. res maximas Augustus Caesar in Hungaria per Eugenium ad Albam Graecam contra Turcos, et Steinvillio duce his in regionibus gerebat; qui quidem Steinvillius tota transalpina Valachia ad Alutam usque flumen perdomita, inque potestatem Impera-

to-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

toris redacta, viam admirabilem ad anguſtias Rubrae Turris ut vocant, in rupibus exciſam emunierat, eamque de Caeſaris vocabulo Carolinam appellarat. Iamque nationes barbarae cuncta Hungaria exactae propemodum fuerant, ac profligatae, cum anno ſequenti XVIII. pax inter Turcos et Romanum Imperatorem, Britannis et Belgis conciliatoribus atque ſequeſtris convenit; eoque in comitiis Koloſvariae hoc anno celebratis, res etiam erratici hujus Gymnaſii rurſus ad ordines regni referebantur. Etenim Steinvillius etſi de pacta compenſatione pecuniaria promisſis non ſtaret, eamdem tamen libertatem, quam ante Caeſaris nomine conceſſerat, nunc quoque Proceribus noſtris annuebat, ut vel alio Gymnaſium transmigraret, vel ſi viſum ita fuisſet, Váſárhelyini, ubi jam tum erat, propriam perpetuamque ſedem ſibi vindicaret; itaque totum illud negotium ex arbitratu noſtri Senatus Eccleſiaſtici pendebat. Ecce autem ſubito ventus necopinatus, unde minime debebat ac ſperabatur, rurſus ſpirare coepit adverſus Delum hanc noſtram hinc quoque removendam! Etſi enim tota id temporis urbs haec Maros-Váſárhelyenſis, nemine civium excepto, Helveticam religionis formulam et normam, quae Confesſio nominatur, amplecteretur; inventi tamen e magiſtratu iſto nonnulli fuerunt, ne quid gravius dicam, nimis anguſto, humili et abjecto animo homines, qui neſcio

Mádi Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

quibus vanis et ridiculis rationibus commentis et excogitatis, manibus pedibusque obnixe omnia faciebant, et id operam pro sua parte virili dabant, ne Gymnasium hoc errabundum et ambulatile in sui gremio inveterasceret, sed dum adhuc recens esset, sedibus ejiceretur, neve cum suo, quem adhuc habuissent, ludo conjungeretur. Non est operae, Auditores, vel, si maxime foret, temporis ad dicendum mihi constituti ratio neutiquam ferret, illorum species et causas, undecim capitibus comprehensas, vobis audientibus enumerare, quae cum ad manum sunt, proferendae tamen vel horum honoris causa minime videntur, qui cum illis hac de temeritate nullo modo consentiebant. Has igitur suas tam elegantes, si Diis placet, argutias, posteaquam Kolosvarinum, ubi tunc totius regni conventus agebatur, Senatui Ecclesiastico misissent; rescripserunt e vestigio Proceres nostri VI. Kal. Aprilis, atque illis ad omnia sapientissime responderunt; addito praeterea; nihil esse, cur sibi suaeque scholae tantopere metuerent Maros-Vásárhelyenses, celebriori illo Gymnasio exule apud ipsos fixo atque locato, nulli quippe civium nocituro, aut in rebus vel minimis oneri molestiaeque futuro; Voluisse quidem se quoque si commode aliorsum transferri potuisset; nunc autem nullam aliam viam rationemque, quam ut ibi relinquatur, reperiri posse. Tantum autem abesse ut ci-

Házi Rozsó Múzeum Tudományos Könyvtára

civitatis istius privilegiis aut immunitatibus vim aliquam afferre hoc pacto conarentur, ut potius tueri ac conservare haec omnia sui esse officii ducant. Ceterum illa certe auctoritate, qua Senatus Ecclesiasticus polleret semperque valuisset, in omnibus Ecclesiis, scholis et Gymnasiis patriae dirigendis, velle se uti, usurosque haud dubie etiam apud magistratum Maros-Vásárhelyensem, tamquam Ecclesiam emendatis sacris addictam, suumque adeo membrum. Hac accepta responsione, accedente praeterea Steinvillii toties tamque diserte declarata voluntate, quae eadem atque Caesaris ipsius, ut erat, ita quoque habebatur; non modo nihil amplius reluctabantur, sed, ut mobile solet esse vulgus, mutata priore sententia, complures qui adversus antea restiterant, fautores et amici repente facti, omnia benignitatis officia Gymnasio praestabant, idque cum sua copulari schola primo quoque tempore cupiebant ac laetabantur. Agebat eo tempore Curatorem ambulatorii hujus Gymnasii Comes S. R. I. Iosephus Telekinus Székensis, vir non minimis in rem publicam tam civilem quam Ecclesiasticam meritis praeclarus; ludum autem Maros-Vásárhelyensium procurabat Ioannes Toldalaginus; quibus e familiis duabus oriundos hodie quoque Illustrissimos ambo Curatores, illorum antiquorum paene cognomines, nescio quo fato, felici fortassis omine habemus;

Jósa Péter Múzeum Tudományos Könyvtára

illis itaque cum et alios viros Illuſtres Senatus Procerum noſtratium adjunxisſet, eoſque ſumma omnes Auguſti Caeſaris Caroli VI. auctoritate atque in rebus agendis poteſtate, quam a Steinvillio ſibi traditam acceperat, armavisſet; hos ita ornatos et inſtructos Váſárhelyinum delegavit; ſi quid forte repugnantiae et contentionis in civibus adhuc reliquum esſet, ad id ex eorum animis penitus eximendum, pacemque et concordiam inter utraſque partes conciliandam, poſtremoque ad duos iſtos literarum ludos, tamquam membra diviſa in unum corpus conjungendos, ac veluti duo apium examina in unum idemque alvearium redigendos. Haec itaque legatio cujus princeps Ioſephus Telekinus erat, ut in urbem hanc pervenit, re prius omni ac disſenſione cum magiſtratu certis legibus et conditionibus compoſita; dein utriuſque Gymnaſii juventutem una cum ſuis praeceptoribus, anno hujus Seculi XVIII. pridie Kal. Maji, in aream ludi Váſárhelyenſis convocavit, ibidemque more modoque ſolenni decretum et voluntatem Imperatoris et ejus in hac Provincia Praeſidis Steinvillii, de Gymnaſii loco, ſede, ſtatione Váſárhelyini in perpetuum figenda, fundanda ac ſtabilienda, publice promulgavit; Michaëlemque Köpetzinum V. C. qui adhuc ludo Váſárhelyenſi praefuerat, duobus Gymnaſii Albâ profecti profesſoribus Zilaino et Szatmarino adjecit, et in eorum collegium adoptavit.

His

Házi Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

His rebus ita perfectis et consummatis denique factum est, Auditores ornatissimi, ut haec Delos nostra, post tot natationes, et quatuor atque sexaginta annorum fluctuationem, ante hos tres et sexaginta annos, non ad insulas Gyaron et Myconon, sed ad sanctissimum Augusti Caroli decretum, et summi Senatus Ecclesiastici nostratis, omniumque bonorum consensum, hoc in loco, hac in urbe in posterum perpetuo mansura religaretur.

Non ego jam hic memorabo mille calamitates et injurias, quasi totidem tempestates ab hoc Gymnasio fortiter exceptas, quas ei Loyolitarum qui Iesuitae dicebantur, praecipue familia hac in urbe concitavit; quorum oculi sine summo dolore ac vulneribus nunquam videre poterant, tot talesque viros ex eo, tamquam ex equo Trojano, in utramque nationis Hungaricae patriam disseminari; unde quotiescumque vel aedificia ruinas minantia reparanda essent, toties continuo praefectum arcis sollicitare et in illud stimulare, ut ventos adversantes et contrarios commoveret, non desistebant. Videbant enim mortalium callidissimi, et ad omnem fraudem, dolum, malitiam, machinasque et insidias acerrimi, totique sceleribus et fallaciis consuti, hoc in ludo non juventutem modo Transsilvaniensem sed vel in primis Hungaricam, ex qua oriundos superioribus temporibus doctores eorumque magna ex parte discipulos,

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

habuerat, bonis artibus et doctrinis erudiri, qui reduces in solum natale facti, hic eorum regno non minimum detrimenti videbantur afferre. A qua peste pernicieque tam immani et importuna, tandem aliquando singularis Dei O. M. benevolentia, nec non Regum, Principum, Pontificumque sapientissimorum nunquam satis laudanda cura, providentia, superioribus annis rem Christianam liberavit. Quo major certiorque spes affulget, fore, ut quoniam illa jam Aeolia turbinibus foeta, unde semper venti furentes in hanc nostram insulam adhuc emittebantur, aeternis est obstructa claustris; stabili jam illa quiete, quam per istos sperare licuisset nunquam, hoc in loco perfruatur, nullis deinceps nimbis ac tempestatibus perturbanda.

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

Sed neque porro illud instituta brevitatis ratio permittat, ut ordinem, ut successiones, ut nomina vitasque professorum ludi hujus, qui praeter octo jam supra laudatos praedicatosque, numero decem ad hodiernum usque diem extitere, persequar; id quod ceteroqui perfacile mihi foret, propterea quod, si ab uno Samuele Szombatino discessero, novem reliqui probe mihi noti cum omni vitae suae consvetudine, moribus, fortunaque fuissent; quippe quos partim doctores praeceptoresque venerandos, partim collegas honorandos in hac ipsa literarum ac bonae mentis officina habuissem. Verum enimvero nimium

mium longus ſermo narratioque exitura videtur, ſi vel de quatuor illis, Ioanne Kövesdio, Samuele Nadudvario, cognomineque Tetſio, ac Stephano Intze, qui jam omnes a vita discesſerunt, dicendi principium facere velim; quo etiam illud accedit, quod in hoc ornatisſimo coetu veſtro plures reperiantur, quibus illorum non fata modo, ſed ipſa ora, vultus et imago, non minus atque mihi, ad nomina commemorata in animum recurrat, totique ante oculos mentis memoriaeque veſtrae propoſiti verſentur. Quae cum ita ſint, Auditores ornatisſimi, id unum ſuperesſe jam videtur, ut ad alteram orationis meae partem, eamque potiorem, cujus gratia omnis haec ſuſcepta nobis eſt narratio, tranſeam; quae tamen, quanto dignitate illam ſuperiorem antecellit, tanto brevior verborum apparatu futura eſt, quod res hic nobis erit cum Deo, cum Principibus, et cum hominibus piis, ſanctis ſapientibusque, qui re factisque ſibi ſatis fieri, quam multis verbis, et longa oratione gratias agi malunt.

Haász Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

Aequum igitur eſt, ut animo, a ſpecie ac ſimilitudine Deli natantis abducto, noſtras paulliſper cogitationes ad imaginem templi in ea conſtructi, et Apollinis Muſarum praeſidis honoribus dedicati convertamus; cujus quidem fani mirificam religionem, ſanctitatem et antiquitatem non Cicero tantum praedicat, ſed et Callimachus Cyrenaeus, poëta vetus

et auctor valde bonus, aliique ſexcenti priſcorum commemorarunt. Nihil nunc attinet de illius delubri variis ornamentis vel internis vel externis, nihil de ſtructurae magnificentia, pluribus exponere; nec arae illius admirandae meminisſe juvat, quae in eodem fano, teſte Plutarcho, viſebatur, inter ſeptem mundi miracula relata; quod neque ullo glutine aut caemento, nec aliis vinculis cohaerebat, ſed ex innumeris cornibus dextris, opere ſtupendo compacta et coagmentata fuisſet. Vnum eſt, quod etiamſi nullius certa ſcriptoris auctoritate, at veri certe ſimili conjectura ducto mihi licebit affirmare, poſtero ſaltim tempore, quo librorum non modo ſcribendorum, ſed etiam publice asſervandorum uſus et conſvetudo apud Graecos invaluisſet, in Deliaco hoc etiam Apollinis templo tam celebri, communique Graeciae totius aerario, hujuſmodi eruditionis inſtrumenta et librorum theſauros fuisſe repoſitos et cuſtoditos; ſi conſideremus Romanos, qui Deorum cultus, religiones, et caeremonias pleraſque omnes, Graecis acceptas referebant, idem factitasſe, cum in porticu, Apollinis Palatini templo addita, bibliothecam Latinam Graecamque collocandam putaverunt. Quod ſi eſt, ut equidem vix dubitandum arbitror, quis non videt luculentam imaginem et convenientiam, quae celebratisſimum illud fanum Deliacum inter, et hoc pulcerrimum Gymnaſii noſtri templum

et

Haász Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

et auditorium, conjunctamque cum eo bibliothecam intercedit; si modo a Deorum falsorum cultu vanaque superstitione discedamus, quae in illo Apollini deferebatur, cum contra ea, hoc in sacrario bonae mentis, verissimum numen Dei praepotentis et mundi procreatoris adoretur? Cum autem haec augustissima Deoque et optimis artibus devota domus, cujus parietes ipsi laetari mihi videntur, et vel me tacente suis positoribus gratias agere gestiunt, piorum hominum nostratium utriusque sexus, omnis aetatis et conditionis, maximeque Procerum, Nobilium ac verbi divini praeconum cuncta patria dispersorum stipe collata, sit constructa et excitata, fierique nullo modo posset non aliquem e tantis, nefas autem quemquam esset praeterire; non ego statui singulorum benefacta nominatim in praesentia commemorare; id quod si maxime praestare nullo negotio possem, probe tamen scio illos ipsos hoc a nobis minime postulare, contraque quo minus fiat, vehementer esse recusaturos.

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

Ecquem igitur tandem appellem? quod nomen principe loco ponam? cujusnam maxima merita in hanc aedem a fundamentis aedificandam extiterunt, quae sine scelere nefario sileri neutiquam possunt? Nempe tuum nomen illud est o beatissima Maria Theresia, sanctissima Princeps! haec tua laus etiam post tua fata sempiternis gratiarum actionibus praedicanda;

cui ſi nos vivae debitum grati animi officium verbis ſaltim praeſtare non potuimus, at nihil dubitamus quin tuae benignitatis hoc in genere probatae larga ſatis cumulataque ab ipſo Deo O. M. praemia ſint tibi re ipſa jam pridem perſoluta. Tuum tamen ſacratisſimum nomen, dum haec aedes ſtabit, hoc in ſacrario quoque ſemper manebit; tuaſque laudes nulla vetuſtas abolebit; quae tam libenter, tam promte parateque et tam clementer plenam ejus aedificandae libertatem facultatemque, ſimul rogata fuisſes, ſimul donaveris, dederis, concesſeris; eamdemque nobis uſque ad eum finem, quoad perfectum conſummatumque totum opus foret, ſartam tectamque conſervaris!

Haáz Rezső Múzeum
Tudományos Könyvtára

Te vero ſacratisſime Pater patriae, Auguſte Caeſar Ioſephe, qui in eadem poteſtate nobis clementer concedenda Divae tuae parentis ſententiae ſubſcripſeris, quibus ego verbis alloquar? cujus virtutibus divinis quae tandem oratio, quae dicendi vis par inveniri posſet? Tibi haec domus recens condita, ſecundum dicata, devota, conſecrata eſto; pro cujus ſalute et incolumitate, ſummique imperii proſperitate, bis quotidie hoc in templo re divina facienda, ſacriſque precationibus in coelum mittendis vota nuncupantur; neque ullas ego preces et ſupplicationes coeleſti Numini, cujus vices in terra geris, et vero dignisſime geris, gratiores accidere posſe

ar-

arbitror, quam quae tuo nomine, proque ſacratisſima tua perſona, vel hic, vel alibi locorum peragguntur. Non equidem adulamur te, Princeps ſapientisſime, quippe qui ſupra omnes blanditias, et asſentationem poſitus es; neque nos ea conditione ſumus, ut auribus tuis quicquam dare, aut palpum obtrudere posſimus; hoc tamen confirmare non dubitamus; ſi nobis nullum aliud esſet officium in omni vita reliquum, niſi ut pro tua felicitate, Deum, ſupplicibus verbis precaremur, et obſecraremus, ut te quam diutisſime ſuperſtitem, ac ſoſpitem esſe jubeat, atque ſuos ut oculos tueatur; exiguum reliquae vitae tempus relictum videretur, vel ad ſemeſtris temporis acta tua, omnis juſtitiae et aequitatis plenisſima, memori mente recolenda, atque ad te, pro illis, divinae curae cuſtodiaeque, ſublatis ad coelum manibus, animo autem demisſisſimo, commendandum. Quare nihil amplius nunc quidem dicam, niſi illam verbulo gratiam commemorabo, quam tibi ſola haec aedes, eidemque annexa illa bibliotheca debet, quae tamen et ipſa non modo referri, ſed ne quidem commemorari ſatis pro dignitate poteſt. Tu enim, ſimul atque patriae noſtrae principatum, una cum dominatu regnorum aliorum iniisti; continuo eam tuam voluntatem ſacratisſimam de libris in has regiones libere importandis oſtendiſti, qua diviniorem ac ſapientiorem nulla unquam

aetas

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

aetas vidit, neque noſtra haec tempora optare vel cogitando potuerunt. Nam niſi bonis moribus noxios aut nimis contumelioſe ſcriptos, ceteros omnes ſine religionum et caeremoniarum diſcrimine, ut patriae parente dignum, qui omnibus idem esſe debet, numero vetitorum exemiſti, cenſorumque ſevera notatione, atque animadverſione, cui adhuc fuerant obnoxii, divinitus liberaſti. O Principem omnium qui ſunt, fuerunt, erunt, virtute, ſapientia, juſtitiaque principem! Quis igitur toto terrarum orbe vivit, cui dignius, juſtius, cui meliori jure, novum hoc templum et bibliothecam, poſt Deum dedicaremus, quam tibi, maxime Ioſephe, non tamquam Apollini Palatino, ſed unico veri Dei certisſimoque in terris vicario, coeleſtiſque Numinis munus atque partes, omni cum ſapientiae ac bonitatis laude ſuſtinenti? qui ut ad clavum regni ſedere coepiſti, quaſi ſignum quoddam ad bene de rebus humanis ſperandum ſuſtuliſti; ac res duas, quae ante disſociabiles videbantur, principatum ac libertatem miſceri posſe, certisſimis ſpeciminibus, brevi temporis intervallo, hominum genus univerſum edocuiſti. Quocirca ſacratisſime Imperator, non tam domine quam parens indulgentisſime, verisſima patris noſtri coeleſtis et praeſens in terris atque asſpectabilis imago, neque timor aut metus, ſed amor deliciaeque populorum; tuae nos noſtrumque Gymnaſium et ſanctis-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

ctisſimum hoc ejus templum, tutelae tradimus et commendamus, proque maximarum rerum quas divino tuo conſilio, tot gentium nationumque ſaluti bonoque moliris, felici ſemper et ubique ſucceſſu futuro, praepotentem Deum votis et obteſtationibus fatigare, nullo unquam tempore deſiſtemus.

Sequitur nunc, ut ad vos, viri excellentisſimi, rerum vel bellicarum vel civilium hujus Provinciae rectores et gubernatores; ceterique in Curia Transſilvanienſi ſacrae Caeſareae Regiaeque majeſtatis Conſiliarii, et arcanorum participes graviſſimi, mea ſe convertat oratio; quibus excellentisſimum communis cunctae patriae Tribunalis juridici praeſidem, ceteroſque Iudices lectisſimos, in eiſque Ill. Comites ambo Gymnaſii noſtri Curatores; nec non Iudicii continui, quod vocant, in hac Dioeceſi Maroſienſi Praefectum regium, in eoque conventu reliquos cauſarum cognitores et arbitros; denique hujus civitatis Maros-Váſárhelyenſis nobiliſſimum Conſulem, alioſque magiſtratus, adjungo; quorum plerique vel opibus vel conſilio vel utriſque ad hujus auditorii ſubſtructionem, ſuam operam, auxilium, ſubſidium, adjumentumque non inviti ſed lubentes, non gravate ſed ſtudioſe, quin ultro etiam et ſua ſponte contulerunt. Quare cum ea ſit in veſtris quoque beneficiis et in hoc novum aedificium promeritis magnitudo multitudoque, ut vel copioſisſimo

et

Haász Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

et uberrimo ingenio juſtam ſatis materiam ad agendas vobis gratias ſuppeditare queat; nolite quaeſo, viri ſapientisſimi, fidelem in nobis grati animi memoriam, meae hujus orationis jejunitate et infantia dicendi metiri; ſed pro veſtra potius ſapientia cogitate, ſi omnium omnino hominum conſcientiam veſtra haec merita prorſus effugerent, ut iis agnoſcendis vel praedicandis, ſuum vobis ſtudium declaraturus esſet utique nemo; non tamen illa Deo celari posſe; tantoque majorem apud eum veſtrae hujus pietatis mercedem ac remunerationem, olim haud dubie vobis reddendam, esſe praeparatam; quanto minus praemiorum in hac mortali vita pro eiſdem accepisſetis. Sed tamen et nos ipſi, ut quantum deberemus non posſimus, certe quantum quidem posſumus perficiemus, ut veſtri muneris, beneficentiae ac liberalitatis memoriam ſtudio ſempiterno, et immortali habenda vobis gratia, perpetuo colamus; neque diem ullam vel oriri vel occidere patiamur; quin pro veſtra conjugumque et liberorum veſtrorum vita, ſalute, incolumitate, bonis fortuniſque omnibus conſervandis, vota caſtisſima hoc in templo concipiantur, conceptaque Deo O. M. quam religioſisſime et ardentisſimo pietatis ſenſu perſolvantur.

Vos autem conjunctisſimi Collegae, Stephane Baſa, et Ioſephe Fogaraſi, viri clarisſimi, omnique tam

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

tam eruditionis quam cetera laude cumulati, quibus ego humaniores et candidiores, quod praefiſcine dixerim, nec ſperando nec optando posſem cogitare, tacitus nullo modo praeterire posſum; tuque in primis Stephane Baſa, hujus Gymnaſii celeberrime Rector, aut potius conſilio, prudentia, procuratione, diligentia, animique lenitate ac manſvetudine, pater, nominatim a me ſeparatimque ab aliis, appellandus mihi videris. Si nihil aliud in omni tua vita dignum laude vel adhuc feciſſes, vel eſſes deinceps facturus, quam quod in excitanda hac aede pulcerrima cum omnium admiratione probaviſti; hoc unum ad omnem poſteritatis praedicationem abunde ſufficere posſet; ſive in hac quinque circiter annorum aedificatione, nullam aliam curam, induſtriam diligentiamque demonſtraviſſes, quam eam ſolam, quam innumerabilibus epiſtolis aut literis ſupplicibus ad omne genus hominum beneficorum tuis manibus exarandis ac misſitandis impendiſti; nullis tamen, incredibilis illa ſollicitudo, diurna nocturnaque rerum adminiſtrandarum providentia, et divina quaedam in agendo dexteritas, tanta illa tamque mirabilis in rebus non minus gerendis quam excogitandis celeritas, verborum praeconiis pro merito celebrari posſe unquam videretur. Vt mihi quidem, quoties te, tuaſque virtutes inuſitatas conſidero, id quod ego nullo fere non temporis puncto facio; toties veniat

in

Debreczeni Református Múzeum Tudományos Könyvtára

in mentem, quo tempore sacrae Theologiae professor hoc in ludo creandus esset, tuque diu et multum quaesitus, et vix fuisses tandem, multo magnoque labore repertus; totum illud negotium non humano consilio sed ne divino quidem mediocri fuisse gestum, ut post tam diuturnam deliberandi cunctationem, tu potissimum ex omnibus electus, his praecipue temporibus regendo Gymnasio et ejus rebus administrandis admoverere, in quae et hujus auditorii de novo condendi necessitas, et ceterorum domiciliorum et aedificiorum ruinae jam jam instantes et impendentes inciderunt. Nisi enim tua illa singularis et inaudita solertia, labor, sedulitas, in ipso temporis articulo huc accessisset; cum a sacratissimis Principibus ad aedificandum concessa facultas, tum piorum hominum larga munificentia, si non penitus in casum casura fuerunt, non tamen tam utiliter tantoque cum fructu et commoditate, in usum tam necessarium converti potuerunt. Tu lapides, tu calcem, tu omnem materiam ubi diligentissime ac mature praeparandam curavisses; et cum omnis generis opificibus, fabris et architectis egisses, deque omni ratione, forma, magnitudine aedificii extruendi composuisses contraxissesque; incredibili plane celeritate, non ad tectum tantum et culmen totum opus, vel in hac urbis nostrae magnificentia conspiciendum, perduxisti, verum etiam feliciter omnia per-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

perfecisti, absolvisti, consummavisti; ita ut si quis est, cujus ob summa in hanc substructionem promerita, laus celebranda sit, ac disseminanda; tu certe unus omnium maxime is es, cujus nomen non in hac solum oratione summi honoris causa ponendum; verum etiam aureis trabalibusque literis, in hujus aedificii singulis partibus, januis, postibus, valvis, parietibus, et subselliis inscribendum, atque ad omnem serae posteritatis memoriam propagandum esse videatur. Nihil de ceteris tuis virtutibus, ne quidem ad aedificandum et ad rem familiarem custodiendam pertinentibus loquar, quae alterius sunt loci; sola hac aede unica constituenda, aeternum, et omnibus signis, statuis, aereque perennius tibi monumentum excitavisti. Quapropter omnis haec nostra juventus, si bona sua norit, et omnes mecum una boni, summum Numen vehementer precantur, uti te, non modo sacrarum literarum in hoc Gymnasio tradendarum, et eorum quae doces, integritate vitae et innocentia accurate exprimendorum et confirmandorum gratia, verum etiam rei publicae ac familiaris Gymnasii nostri procurandae et administrandae causa commodoque, quam diutissime, salvum, felicem, sospitem et incolumem conservet!

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

Novissimo denique loco, te, Deus immortalis ac sempiterne, pater Domini nostri Iesu Christi, nosterque per eum coelestis; quem propter beneficia populus quoque Christianus Optimum, propter vim et po-

teſtatem, Maximum, jure ac merito nominare poteſt; qui ut olim populi tui Iſraëlitici, quem ſanctisſimo tuo foedere dignatus eras, quadraginta per annos in vaſta illa ſolitudine, lociſque humano cultu vacuis oberrantis, donec tranſito Iordane fluvio, in terra Cananaea per te ſibi tot ante ſeculis oſtenſa promisſaque conſedisſet; ſic hujus Gymnaſii noſtri Váſárhelyenſis per annos amplius ſexaginta vagantis, poſtque tam varios caſus et tot rerum ſuarum diſcrimina, ex tua voluntate decretiſque tuis, hac in urbe pulcerrima, ſedes tandem aliquando quietas nacti, conſtantisſimus ductor, defenſor atque Stator, ad hodiernum uſque diem extitiſti; cujuſque ſanctisſimo cultui, honoribus caèremoniis, et religionibus, auguſtam hanc aedem recentius conſtitutam, libentes meritoque damus, dicamus, et ſumma cum animorum noſtrorum demisſione, laeti tamen et alacres conſecramus; te inquam, tuum propter filium, noſtrum Servatorem Chriſtum Ieſum, una cum ſanctisſimo tuo Spiritu, ſupplices rogamus, quaeſumus, obteſtamur, obſecramus et veneramur, ut quorumcumque beneficio quacumque ratione praeſtito, hoc ſplendidisſimum omnis doctrinae liberalis ſacrarium eſt erectum et conſtitutum; illos omnes ſingulari prorſus et eximio tuae miſericordiae paternae coeleſtiſque benignitatis favore, vivos mortuoſque complectare; proque ſingulis, quos in eam rem expenderunt, obolis, non alterum modo tantum, ſed centies milli-

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

lieſque majorem auri argentique modum, et alia omnia inexhauſtae tuae largitatis munera his longe meliora rependas; tandemque peracto mortalis vitae curriculo, certum in coelo definitumque reddas locum, ubi aevo ſempiterno quam beatisſimi perfruantur. Vtique preces et ſupplicationes, quas haec tibi ſacra devotaque iuventus, ſingulis diebus, ſtatis horis, matutinas veſpertinaſque hoc in templo, pro ſacratisſimo Principe noſtro, illo, illo verisſimo populorum et vigilantisſimo paſtore, vice in terris tua fungente, in quo tua coeleſtis bonitas quid efficere posſit, videtur experta; proque ſapientisſimo ejus in hac provincia rei publicae gubernatore, ceterisque Senatoribus, et pro aliis omnibus noſtris Maecenatibus et nutriciis, cujuſlibet ſtatus, ordinis, ſexus, aetatis, atque conditionis; nec non pro miſeris gravi et deſperata valetudine proſtratis, et in ſummo vitae diſcrimine laborantibus; pro his inquam et bonis omnibus, quas tibi obſecrationes, hac in aede ſacra, haec iuventus ſcholaſtica fecerit; eas omnes propter Filium tuum, qui nos tibi, teque nobis reconciliavit, viamque cum ſpe fiduciaque nobis ad tuae gratiae ſolium accedendi munivit; ne averſeris, neve deſpicias, et aspernere, ſed potius clementisſimis tuis auribus accipias, eiſque pro paterna tua miſericordia libenter annuas, teque exorari patiare. Vtique tuo Spiritu praepotenti perficias, ne unquam hac e cathedra et hoc e loco ſuperiore, ulla doctrina

Hajós Pozsvári Múzeum Tudományos Könyvtára

peſtifera, vana atque futilis, ſanctisſimoque tuo verbo, quod ſacri vates legatique olim tui, ſcriptis omni hallucinatione hominum propria ſuperioribus conſignarunt, adverſa et contraria; ſed omnes artes ingenuae, liberaleſque diſciplinae ad veram erga te pietatem et ad bene beateque vivendum, omnemque humanitatem utiles, ab earum profeſſoribus tradantur, ac teneris adoleſcentium hominum mentibus inſtillentur. Effice praeterea pater coeleſtis, ut noſtrum hoc Athenaeum, hoc amoenisſimum virtutis ac pietatis Gymnaſium, ſit montis ingentis aut ſaxi praegrandis ponderoſique ſimillimum, quod quicumque hoc e loco, per odium et invidiam, mala mente conſilioque ducti, movere atque proturbare conati fuerint, diſrumpantur; manifeſtamque tuam iram et indignationem juſtisſimam, continuo perſentiſcant; contraque adde ei hac in ſede perpetuitatem perennemque omnis divinae humanaeque ſapientiae docendae diſcendaeque praeſta felicitatem; curſumque et progresſum ſine ulla offenſione ſecundum; ut ex hoc foecundisſimo rei publicae tam civilis quam Eccleſiaſticae ſeminario, plantae innumerabiles optimaeque transferantur, translataeque non modo comprehendant, pulcerrimeque floreant, ſed fructus etiam uberrimos utilisſimoſque proferant, ad ſanctisſimi tui Numinis laudem gloriamque per omnes ſeculorum aetates celebrandam.

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára

FINIS.

Haáz Rezső Múzeum
Tudományos Könyvtára

Haáz Rezső Múzeum
Tudományos Könyvtára